

CAPUT III.

De Jesu Christo quatenus est terminus actionis
vel efficientiae

ARTICULUS I.

De Christo ut termino actionis effectivae

THESIS XXXV.

Verbi Incarnationem operata est tota Trinitas.
148. Propositio est de fide, et prob. 1.^o ex Lateran. IV, cap. *Firmiter*: «Unigenitus Dei Filius J. C. a tota Trinitate communi-
ter incarnatus est.»

2.^o PP. Conc. Tolet. XI, in Symbolo fidei, ajunt: «Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operasse cre-
denda est.

3.^o Incarnatio Filii Dei est quoddam opus ab ipso Deo distinctum. Sed opera Dei extrinseca sunt facta a tota Trinitate. Ergo et Incarnatio.

Maj. prob. Incarnatio facta est ex muliere, et quidem in tempore (1); item, est substantialis cum carne seu humanitate unio; ex semine David (2). Sed ejusmodi nequeunt esse idem cum Deo. Ergo Incarnatio est opus a Deo distinctum.

Min. prob. 1.^o Ex Tolet. XI, in Symb. fidei. «Inseparabilia sunt opera Trinitatis.» 2.^o Ex Profes. fidei ab Innoc. III. praescripta: «Patrem, Filium et Spiritum S., unum »Deum factorem omnium visibilium et invisibilium, corporalium »et spiritualium, credimus et confitemur» (3).

4.^o In tribus Personis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; quod «Sancta Romana Ecclesia firmiter credit;» (Bulla Eugenii IV pro *Jacobitis*). Sed productio unionis Verbi ad carnem nulli personae opponitur: ergo est tribus Personis communis.

(1) Galat. IV, 4.—(2) Rom. I, 3.—(3) Vide August. Ser. LXXI, de *Verb. Matth.* n. 27.

149. Obj. 1.^o Unio Verbi cum Humanitate non est aliquid distinctum ab ipsa unitione, seu actione unitiva. Sed unio non est communis Trinitati; ergo tota Trinitas Incarnationem, seu actionem unitivam non est operata.

Resp. Nego *maj.* Etenim actio non est confundenda cum effectu seu termino ipsius.

Obj. 2.^o Unio Verbi cum Humanitate nihil est ab ipso Verbo realiter distinctum: atqui Verbum divinum non est totius Trinitatis opus: ergo neque unio incarnativa.

Resp. Nego *majorem*, cujus falsitatem supra ostendimus, (Thesis. XXXII) et praesens certissima doctrina evidentior exhibet.

THESIS XXXVI.

Natura humana Christi a Verbo solo assumpta est.

150. Nota. Verbo tantum unitam fuisse humanam naturam supra ostensum est; quia vero assumptio actionem significat, et actio incarnativa fuit omnibus divinis Personis communis, dubitari potest an assumptio possit et ceteris Personis, praeter divinum Verbum, attribui.

Prob. 1.^o Conc. Tolet. XI. in professione fidei dixit: «Non dicimus ut hujus Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae *assumpsit*.»

2.^o Assumere est ad se trahere, sibi unire. Atqui soli Verbo unita est humana natura, (supra Thesis XXIII): ergo.

3.^o Augustinus, (2) ait. De Filio multa sunt dicta, quia »Filius suscepit hominem, non Pater, non Spiritus Sanctus; sed »carnem Filii tota Trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt opera »Trinitatis.»

151. Obj. Assumptio est actio quaedam circa humanam naturam. Sed actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; ergo et assumptio.

Resp. Disp. *maj.* Inadaequate; conc. Adaequate; nego. Quod ut evidentiis fiat, sequentem Thesim subjicimus.

(1) Serm. 213, c. 6.

THESIS XXXVII.

Assumptio et unio in Incarnatione non sunt idem formaliter: quatenus assumptio est actio, differunt non solum ratione, sed etiam re.

152. Prob. 1.^a pars. Unio est quaedam relatio in tempore facta (supra, Thes. XXXII); assumptio autem significat (in recto) actionem, et (in obliquo) passionem, ex quibus ipsa unio efficitur; *ad se sumere*. Atqui relatio effecta, et actio ac passio quibus efficitur, sunt formaliter diversa. Ergo formaliter differunt assumptio et unio.

Confirm. exemplo. Vere dicitur; corpus est unitum animae, habet unionem cum anima; numquid dici potest, quod assumpsit animam? vel quod anima assumpsit corpus?

2.^o Quae uniuntur, seu unione referuntur, aequaliter dicuntur unita. Atqui, è contra, quae assumptione referuntur non aequaliter dicuntur; nam alterum extremum dicitur assumens (per actionem), alterum vero assumptum (per passionem): ergo assumptio et unio formaliter discriminantur.

153. Prob. 2.^o pars. Primum autem **nota**: assumptio, adaequate accepta, includit actionem assumentis, naturam assumptam, terminum ad quem assumitur, et unionem, qua assumptio completur: unde unio includitur in assumptione, ideoque haec adaequate, seu ex omni parte, non distinguitur ab illa; inadaequate autem, prout est actio, distinguitur.

Prob. 1.^o Actio realiter a suo effectu distinguitur. Sed unio est effectus actionis assumentis: ergo realiter distinguitur ab assumptione.

2.^o Natura assumpta unionem realem habet ad Verbum divinum. Sed actionem ad eundem non habet: ergo quatenus assumptio est actio, realiter distinguitur ab unione.

154. Coroll. Ex his elucet, quare Pater et Spiritus Sanctus humanam naturam non assumpserint, licet simul cum Filio unionem effecerint et assumptionem. Assumptio enim, praeter *actionem* efficientem, aliud postulat, ut dictum est.

THESIS XXXVIII.

Christus Dominus, quatenus est quoddam compositum, nequit proprie aliquid creatum dici, sed improprie tantum.

155. Prob. 1.^a pars. Creatum proprie dicitur quod est ex nihilo.

Sed Christus, ut compositum, non est ex nihilo. Ergo neque aliquid creatum.

Prob. 2.^a pars. Creatum improprie dicitur quod per veram actionem fit in tempore; quod nunc est et antea non fuit. Atqui hoc compositum, *Christus*, ita se habet. Ergo. Vide infra, Thes. XLIII.

Obj. Anima Christi est vere et proprie creata. Sed quod vere et proprie convenit animae Christi potest dici de Christo. Ergo et creatus dici potest.

Resp. Dist. *min.* Potest dici de Christo, *ut composito*; nego *min.* Potest dici de Christo secundum animam; conc. *min.*

ARTICULUS II.

De Christo ut termino generationis et relationis divinae.

THESIS XXXIX.

Christus proprio et speciali modo est Filius Dei.

156. Propositio est de fide catholica.

Prob. 1.^o Ex Symbolis Nicaen. Constantinop. et Apostolico. «Credo... in Jesum Christum Filium Dei Unigenitum...» Et in Symb. S. Athanasii: «Filius a Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus... Unus Filius, non tres Filii.»

2.^o Ex SS. Literis. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret... Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei* (1). Item (2): *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*

In proprio et literalis sensu accipienda Scriptura, si ad improprium transire nihil urgeat. Atqui Filius Unigenitus significat propriam et specialem filiationem; ergo.

Vide quoque ad Hebr. I, 5; et Joan. I, 18; et Ps. II, 7; et 2 Reg. VII, 14.

3.^o PP. Synod. Antiochenae (Sec. III), in Epist. ad Paulum Samosat. «Hunc Filium genitum, Unigenitum... confitemur.» Augustinus (3) ait: «In Verbo intelligo verum Dei Filium, in »carne agnosco verum hominis filium; et utrumque simul in unam »personam Dei et hominis, ineffabili gratiae largitate, conjunctum.»

4.^o Christus est Verbum Dei (Thes. XXII). Sed Verbum Dei est,

(1) Joan. III, 16, 18.—(2) Rom. VIII, 31.—(3) *De Trinit.* l. 13, c. 19.

proprio et speciali modo, Dei Patris Filius (Disq. V, Thes. XXII, n. 201): ergo et Christus.

Obj. Christus vocat alios homines, fratres; ergo sicut alii homines est Filius Dei.

Resp. dist. *antec.* Fratres secundum naturam divinam; nego. Secundum naturam humanam, vel alia ratione, permitto, vel concedo. Dein, nego *consequentiam*.

THESIS XL.

Christus Dominus est Filius Dei naturalis.

157. Prop. est de fide, et Prob. 1. Ex Nicaen. Symb. «Cre-
dimus in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigeni-
tum ex Patre genitum, hoc est et substantia Patris... genitum, non
factum, consubstantialem Patri.»

Ex quibus sic argues: nihil est plus rei connaturale quam quod
ei secundum substantiam seu essentiam convenit.

Atqui Pater gignit Filium ex sua substantia seu essentia (ἐκ τῆς
οὐσίας), et Filius constituitur talis per essentiam communem cum
Patre, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ: ergo Christus est Filius Dei naturalis.

2.° Christus est Verbum Dei. Sed Verbum Dei est Filius natura-
lis Patris (Disq. V. n. 201). Ergo. Ideo ait Augustinus (1):
«Christus quid est? Filius Dei, Verbum Dei.»

3.° Qui ita est Filius ut habeat eandem naturam Patris et ab eo-
dem Patre, est sane Filius ejus naturalis. Atqui Christus est Filius
Dei (ex Thesi praec.), et habet eandem naturam Patris (Thes. XVII).
et illam habet a Patre (2). Ergo.

158. Obj. 1.° Spiritus Sanctus habet etiam naturam Patris et a
Patre: ergo licet Christus etiam habeat, non est Filius Dei natu-
ralis.

Resp. Conc. *anteced.*, et nego *conseq.* Disparitas in eo est quod
Spiritus S. non est filius; si autem esset, naturalis foret filius. Chris-
tum autem esse Filium in Thes. praeced. probatum est.

Obj. 2.° Filiatio Christi nihil aliud est quam ejusdem sacerdo-
tium: ergo est metaphorica, non autem vera et naturalis.

Ant. prob. Paulus ostendit Christum esse pontificem, quia
dictum est illi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; (3). Ergo Filia-
tio Christi...

Resp. Nego *antec.* et probationem: nam Paulus non probat
per illa verba pontificatum Christi, sed tantum ostendere vult,
Christum non se ipsum fecisse Pontificem, sed a Patre factum es-

(1) Serm. 237.—(2) Io. V, 26, 27.—(3) Hebr. V, 5.

se, seu ab eo *qui eum genuit*: pontificatum vero probat per aliud
testimonium, (ibid.).

Obj. 3.° Filiatio Christi sita est in ejus resurrectione: ergo est
impropria. *Ant. prob.* Paulus deducit Christi resurrectionem,
quia dictum fuit illi: *Filius meus es tu...* (1). Ergo Christi Filiatio
in resurrectione reponitur.

Resp. tum *antec.*, tum ejusdem probationem negando. Etenim
Paulus illa verba affert ut ostendat; *Christum Filium Dei re-
promissum fuisse Patribus*. In illo enim Psalmo (2) promittitur
Messias et revelatur fore Filium Dei; propterea Paulus tex-
tum illum insignem profert, ut videant non aliud eum adnuntiare,
praedicando Christum Dei Filium, quam quod fuerat repromissum
per prophetas. Resurrectionem autem Christi alio probat testimo-
nio, (ibid. v. 34).

THESIS XLI.

Christus, in quantum homo, non est Filius Dei
adoptivus.

159. Nota I.° Quod Christus sit Filius Dei adoptivus, in *quantum
homo*, potest in eo sensu dici, quasi Christus *in quantum homo* sit
aliud suppositum non divinum. Cum hoc sit haeticum, thesis,
si ita intelligatur, est de fide.

Nota II.° In alio sensu, juxta quem dicatur Christus Filius Dei
adoptivus, quia *in quantum homo* sanctificatus est gratia sanctifi-
cante, vel unione hypostatica; cum id sit falsum quidem, sed non
haeticum, thesis vera et certa dicenda.

160. Prob. 1.° Ex Concil. Francoford. ab Adriano I
approbato: «Male sentientes, in Dei Filio asserebant adoptionem;
quam omnes Patres respuentes una voce contradixerunt, atque
hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statue-
runt.»

Praeterea ait: «Invenimus in libelli vestri principio scriptum:
credimus Deum Dei Filium... non adoptione, sed genere. Credi-
mus eum factum ex muliere, non genere esse Filium, sed adop-
tione; non natura, sed gratia. Ecce serpens inter pomifera paradisi
latitans ligna. ut incautos quosque decipiat.»

Patet ex his reprobasse Patres, tum quod absolute dicatur Dei
Filius adoptivus, tum quod dicatur reduplicative. *quatenus homo*,
seu factus ex muliere.

Adrianus I, in *ep. Synod.* ad episcopos Hispaniae: «Rejicien-

(1) Act. XIII, 33.—(2) Ps. II, 7.

»da adoptio Jesu Christi Filii Dei, secundum carnem. Hoc catholica
»Ecclesia numquam credidit... numquam male credentibus assen-
»sum praebuit.»

Prob. 2.^o Adoptio nequit esse nisi de extraneo; sed cum Christus dicitur Filius Dei *ut homo*, non significatur extraneus. Ergo nec adoptivus.

Prob. *min.* Cum Christus dicitur Filius Dei *ut homo*, significatur etiam suppositum. Sed suppositum Christus non est erga Deum extraneum. Ergo verba illa *ut homo* non innuunt extraneum.

Hac ratione arguebat Concil. Francoford. «Si ergo Deus »unus est qui de Virgine natus est, quomodo potest adoptivus »esse?»

161. Obj. 1.^a Reduplicatio *in quantum homo* significat in recto humanitatem. Sed ratione humanitatis est Christus Deo extraneus. Ergo Christus, *in quantum homo*, vere est adoptivus.

Resp. Dist. *maj.* Humanitatem tantum; nego: significat etiam suppositum; conc. Item distinguo *min.* Ratione humanitatis, exclusivae sumptae; conc. Tamquam subsistentis acceptae; nego.

Inst. Christus, *ut homo*, aut non est Dei Filius, aut est Filius Dei naturalis, aut Filius Dei adoptivus. Atqui primum est plane falsum; secundum dici nequit (Thes. XXXI): ergo tertium fatendum.

Resp. dist. *min.* quoad secundam partem, prima concessa. Christus dici nequit Filius Dei naturalis *ut homo*, quatenus haec filiatio in identitate fundatur naturae; concedo: quatenus *ex unione* in eadem natura oritur; nego. Et, denique, nego *consequentiam*.

Obj. 2.^o S. Hippolytus (1) ait: «Neque enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius erat.» Atqui ille qui non est perfectus filius et tamen ad haereditatem suscipitur, vere adoptatur. Ergo est adoptivus.

Resp. Dist. seu explicio Auctoris illius dictum. Non erat perfectus filius quoad eam filiatioem quam habere ex divina oeconomia debebat; conc. Quatenus filius dicit simplicem respectum ad patrem; nego. Elucet solutio difficultatis et mens Patris ex ipsius verbis: «Cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit.» Vocat ergo perfectam filiatioem, quatenus nobis aliquo modo communicatam, ita ut possit dici Christus, *Primogenitus in multis fratribus*. Fatetur namque Verbum antea fuisse Unigenitum: «Cum tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus.»

Quae doctrina ut clarius eluceat, sit:

(1) L. *Contr. haeres. Noëti*, n. 15.

THESIS XLII.

Christus, in *quantum homo*, est Filius Dei (1).

162. Nota. Non intelligitur illud *in quantum homo*, ratione suppositi praecise, sed ut *compositum Verbi et Humanitatis*. Nam subsistit persona Christi in duabus naturis: ut subsistit in natura divina est Filius Dei naturalis, *ejusdem naturae* cum Patre: ut subsistit in natura humana, est frater noster, *ejusdem naturae* nobiscum, gratia sanctificante, elevatae, imo et gratia Unionis *deificatae*, ut loquitur Synod. Oecum. VI.

Dicimus ergo, Christum esse (plus quam nos simus) Filium Dei, *ut hominem*, seu ut subsistentem in tali humanitate *adeo sanctificata et deificata*.

163. Prob. 1.^o Concilia et Patres docent; Christum, ut Deum, esse Unigenitum Dei, ut hominem vero esse Primogenitum: ergo Christus ut homo est Filius Dei.

Antec. prob. Illud Apostoli ad Rom. (2): «*Primogenitus in multis fratribus*»; et ad Colos. (3), *Primogenitus omnis creaturae*: intelligendum esse de Christo *ut homine*, non vero de illo ut Unigenito Dei, docent Conc. Sardic. in (4) epistola ad omnes fideles; et Conc. Tolet. XI. in symb. fidei, «Unigenitus propter Deitatis substantiam, primogenitus propter assumptae carnis naturam:» Hieronymus; Cyrillus Alex. L. de *fide ad Theodosium*, et in altero *ad Reginas*; Anselmus; et Catechismus Conc. Trid. in art. 2.^o *Symboli*, n. XVI. idem docent.

Prob. 2.^o Gratia accidentaliter constituit homines Dei filios: ergo a fortiori gratia substantialis, seu unio ad hypostasim et naturam divinam, uti Christus ipse arguebat (5): Quam Christi argumentationem, de sanctificatione ejusdem *ut hominis* per unionem humanitatis ad Verbum intelligunt Athanasius, Chrysostomus, Hilarius, quos affert Toletus (in *Evang. Joan*).

Prob. 3.^o Christus, *ut homo*, id est, propter sanctificationem talem suae humanitatis, habet jus ad gloriam plus quam nos; participat divinam naturam melius quam ceteri justii; nempe, non per solam similitudinem, sed per realem et substantialem unionem: ergo plus quam nos est Filius Dei.

(1) Conferas hanc Thesim cum Thes. XXXIII.—(2) VIII, 29.—(3) I, 15.—(4) Nonnulli AA. dubitationum umbras suscitaverunt de authenticitate hujus epistolae: inanes quibus nituntur rationes nequeunt nos movere.—(5) Joan. X, 35, 36.

164. Obj. Synod. Tolet. XI, Augustinus, Doctorque Angelicus (1) negant Christum Filium esse totius Trinitatis. Sed si concedamus esse verum Filium Dei quatenus ejus Humanitas est deificata, sequetur esse Filium totius Trinitatis. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* Negant esse Filium totius Trinitatis ratione illius determinatae filiationis de qua agebatur; conc. Negant aliam filiationem de qua nos egimus; nego.

Scilicet, negant Christum esse Filium Trinitatis, quatenus fuit virtute Spiritus S. conceptus; negant quoque quatenus fuit gratia sanctificante ornatus: quia filiatio fundata in gratia habituali foret mere adoptiva; fundata in conceptione de Spiritu S. esset impropriissima et veluti *monstruosa*, nam pater et Filius forent *diversae* naturae. Vide D. Th. ibidem.

Inst. Duas tantum aliqui DD. dicunt esse Christi nativitates, aliam aeternam sine matre; aliam vero temporalem sine patre. Ergo et duae sunt tantum filiationes.

Resp. dist. *antec.* Nativitates naturales *ex identitate naturae*, concedo. Nativitates sub qualibet ratione intellectas; nego. Ecce differentias: nativitas naturalis Filii Dei est ex identitate numerica divinae naturae; nativitas naturalis Filii Mariae, ex identitate specifica humanae naturae; alia autem nativitas est in Christo ex unione naturae humanae ad Verbum et naturam divinam, vi cujus unionis habet *eminenter* omnia jura, quae praestantur a gratia sanctificante, sublata imperfectione adoptionis. Haec autem filiatio licet non sit naturalis quatenus significetur *identitas* naturae, est vere naturalis quatenus non est adoptiva, sed ex *unione* in eadem natura.

ARTICULUS III.

De Christo ut termino actionis et relationis humanae.

THESIS XLIII.

B. V. Maria vera fuit Christi Mater.

165. Nota: haeretici illi qui corpus Christi phantasticum fuisse somniarunt, de quibus supra (Thes. XIX); vel qui a coelo delapsam carnem finxerunt; veram Christi filiationem a Maria negarunt.

Thesis est de fide catholica.

(1) Q. 32, a. 3.

Prob. 1.° Ex Symb. Apostolorum: «Natus ex Maria Virgine.»

Item ex Symb. fidei Conc. Tolet. XI. «De Patre sine matre ante secula genitus, et in fine seculorum sine patre de Matre est generatus; qui, secundum quod Deus est, creavit Mariam, secundum quod homo, creatus est a Maria.»

Vide Innocentium III supra, (Thes. XIX).

2.° Ex singulis constat Evangeliiis: Lucae (I, 31): *Ecce concipies in utero et paries filium*. Unde argues: vera est relatio maternitatis quae ex vero fundamento, verisque terminis exurgit. Sed talis est B. V. Mariae maternitas respectu Christi; ergo Maria est vera Christi Mater.

Prob. *min.* Termini sunt B. Virgo et Christus ejusdem naturae; fundamentum autem conceptio, partus. Sed in qualibet matre non alii sunt relationis termini nec aliud fundamentum: ergo vera est Mariae maternitas.

Item: Matth. (1). *Accipe puerum et matrem ejus*. Et Joan. similiter (c. II).

3.° Ambrosius, ep. 82; Hieronymus, ep. 47; Chrysostomus, hom. 84 (2); dicunt, Christum nos docuisse in cruce honorare parentes.

4.° Quidquid erga filios suos praestant matres, praestitit erga Jesum Maria: ergo vera fuit mater. *Ant.* patet ex Luc. (3). *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.*

166, Obj. 1.° Nativitas Christi ex Maria fuit supernaturalis: ergo saltem non fuit Maria naturalis mater Christi.

Resp. 1.° permitto omnia. Non enim quod fuit naturalis, sed quod fuit vera Christi mater dicitur in thesi.

Resp. 2.° Dist. *antec.* Supernaturalis quoad ea quae active praestantur a matre erga filium, nempe, ut ex ejus substantia in utero efformetur et nutriatur filius; nego. Quoad ea quae passive praestantur a matre; concedo. Non enim ex virtute viri concepit, sed ex virtute immediata Dei.

Obj. 2.° Christus, cum dicerent illi (4), *Ecce mater tua*; respondit: *Quae est Mater mea? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater, et soror et mater est*. Ergo dicendum cum Marcionitis et Manichaeis, Mariam non fuisse veram matrem.

Resp. dist. seu explico *antec.* *Quae est mater mea...* quatenus non ita erat mater, ut ejus honori et dignitati essent postponenda praeccepta Patris qui in coelis est; conc. Quatenus non esset vera Mater secundum carnem; nego.

(1) II, 20.—(2) In Joan.—(3) C. I, 31.—(4) Matth. XII, 48, 50.

Scilicet, voluit Christus, ea capta occasione, nos docere, altio-rem se habere filiationem; et divinae voluntati omnia, etiam matrem, postponenda. Ita Ambros. (1).

THESIS XLIV.

B. V. Maria vera est Mater Dei.

167. *Nota.* Nestorius unione substantiali inter Verbum et Humanitatem negata, Mariam non esse Dei matrem inferebat: ejus haeticam blasphemiam damnavit Ecclesia, sed et blasphemam linguam, justo Dei judicio, ederunt mortis corruptionem praevenientes vermes. Thesis est de fide.

Prob. 1.^o In Ephesina Syn. can. 1. «Si quis non confitetur »Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem Sanctam Virginem; peperit enim secundum carnem, carnem factum »Deum Verbum... an. sit.»

2.^o Ex Sto. Luca (2): *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quo sic arguitur: Maria est Mater illius qui ex ea natus est: sed ex ea natus est Filius Dei.

Min. prob. Si ille qui ex Virgine natus est non esset ipse Filius Dei, esset alia persona a persona Filii Dei Jesu Christi distincta. Sed, hoc posito, Angelus falso diceret quod ille qui nasceretur ex Virgine vocaretur Filius Dei. Ergo ex ea natus Filius Dei.

Simili argumento id deduces ex prophetia Elisabeth (3): *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei...* Jure enim intelligunt Patres: *Mater Dei mei.*

3.^o Hippolytus (4) ait, vel alius antiquissimus A. «Unigenitus qui ante secula existebat, in extremo tempore ex Virgine natus est, sine viri concubitu.»

Gregor. Naz. (5): «Si quis Sanctam Virginem Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.»

Gregor. M. (6): «Domini Mater dicitur, quia in ejus visceribus Unigenitus aequalis Patri factus est homo.»

4.^o Virgo concepit et peperit Deum: ergo est Mater Dei.

Ant. prob. Concepit et peperit hunc hominem Jesum. Sed hic homo in conceptione ipsa est Deus: ergo. *Min.* supra probata est. (Thes. XXIV).

168. Obj. 1.^o Generatio ex V. Maria non est ad Deum terminata. Ergo nequit esse Mater Dei. *Ant.* prob. Si illa generatio fuisset ter-

(1) L. 6. in Luc.—(2) L. 35.—(3) Luc. I, 43.—(4) L. de Charismat.—(5) Orat. 51.—(6) L. 18 Moral. c. 27.

minata ad Deum, id factum esset mediante humanitate Christi. Sed neque mediante humanitate terminari potuit ad Deum. Ergo.

Prob. *min.* Humanitas genita a V. Maria nullum habebat nexum cum divinitate, seu persona divina: ergo neque mediante...

Antec. prob. Humanitas Christi, a V. Maria concepta, tantum exigebat esse completa, seu subsistere. Sed ejusmodi exigentia non respiciebat Verbum. Ergo Humanitas a V. Maria concepta nullum nexum... *Min.* prob. Si complementum subsistentiae, quatenus superadditum naturae, est aliquid negativum, naturae sane exigentia non respiciebat Verbum neque unionem cum Verbo; numquid enim Verbum est negatio? si autem id quod superadditur naturae per subsistentiam est reale quid positivum, humanitas Christi solum reale suum ac naturale exigebat complementum. Sed naturale illius humanitatis complementum non erat persona Verbi. Ergo in nulla hypothesi exigentia illa Verbum divinum respiciebat.

Resp. 1.^o Fateri oportet, nullatenus Virginis generationem respexisse et attigisse Verbum, si natura evadat naturaliter subsistens per *negationem unionis* cum alio: sed hic conceptus subsistentiae rejectus supra (Thes. XXVI) fuit.

169. Resp. 2.^o Concedo subsistentiam reale esse complementum naturae superadditum: ideoque ad ultimum syllogismum, dico:

Dist. *maj.* Humanitas a B. V. Maria genita solum exigebat suum naturale complementum *praecise et absolute*; nego. Quatenus non fieret miraculosa suspensio et commutatio ejus naturalis complementi; concedo.

Minorem autem, vel concedo, vel distinguo: naturale complementum illius naturae non erat persona Verbi, si Verbum divinum prioritatem naturae sumpserat animam et corpus Christi ante eorum unionem; nego: si non sumpserat; concedo.

Generatio per B. V. Mariam terminata fuit ad unionem corporis et animae Christi: igitur si Verbum antecedenter sumpserat utrumque, unio exigebat seu efficiebat naturam completam seu subsistentem per Verbum, ideoque generatio connectebatur cum Homine-Deo. Ita quidem factum fuisse censet Doctor Eximius; qua sententia, Deum vere et proprie a Virgine fuisse genitum luculenter explicatur.

Obj. 2.^o Generatio est origo viventis a vivente in similitudinem naturae. Sed Deus non est ortus a Maria V. in similitudinem naturae: ergo. *Minor* prob. Christus Deus solum ortus est a Maria V. quoad naturam humanam. Sed natura Dei non assimilatur naturae humanae: ergo.

Resp. Dist. *min.* Dei natura divina non assimilatur naturae humanae; conc. Dei natura humana; nego. Jam vero, Deus Verbum

naturam habet humanam: sicut ergo inde Deus est homo, ita et Filius hominis, seu Mariae.

THESIS XLV.

B. Maria Christi Mater et ante partum et in partu Virgo permansit.

170. *Nota.* In prioribus Ecclesiae seculis B. Mariae virginitatem impuri negaverunt haeretici, ut Epiphanius et Augustinus, in catalogo historico haeresum, testantur, et Hieronymus in libro *adversus Helvidium*. In hisce temporibus autem, rationalistae omnes, qui omne supra naturam factum, a priori, stulte respuunt, illorum sequuntur impietatem.

Propositio fide credenda.

Prob. 1.º Ex symbolis fidei: «Natus ex Maria Virgine.» Deinde in Conc. Lateran. sub Martino I definitur. «Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem... Dei Genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam »Mariam utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter... »absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter »genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate; condemnatus sit.»

2.º Matth. (1). Dicitur: *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto... Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam: Ecce virgo in utero habebit, et pariet Filium.* Explicite ergo constat, virtute divina in utero Mariae efformatum Jesum et quod Virgo concepit, Virgo peperit. Confr. Luc. (2).

171. 3.º Ex Isai. (3): *Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet Filium...* Ex quibus sic arguimus: hic sermo est de Messia: atqui dicitur conceptus et natus de Virgine; ergo Maria mater Christi...

Maj. prob. 1.º ex interpretatione explicita Evangelistarum. 2.º Ex communi PP. consensu, inter quos videas Justinum (4) et Hieronymum, (5). 3.º Ex contextu: a) Puer ille vocabitur *Emmanuel*, Nobiscum Deus; quod nomen propriissime Christo convenit, et non aliis. b) Puer ille promittitur ut magnum signum et causa salvationis Judae: atqui hoc nulli alii potest aptari nisi Messiae. c) Hic Emmanuel in capite sequenti, ubi de iisdem re-

(1) I, 18, 20, 22, 23.—(2) I, 34, 35.—(3) VII, 14.—(4) L. adv. *Triph.*—(5) In c. VII, Isai.

bus est sermo, dicitur dominus et rex Judae, victurus omnes gentes, dominaturus omnem terram, dissipaturus consilia omnium gentium. Qua de causa hortatur Deus prophetam, ut in eo tantum spem constituat, quo sit illi in sanctificationem; non autem imitetur vanum timorem domus Israel et Judae, quibus erit in ruinam et in lapidem offensionis, ita ut maledicant regi suo et Deo suo. Atqui haec Messiam respicere, aperte, ex supra dictis, elucet juxta illius notas et characteres: ergo.

172. 4.º Concil. Toletanum IX, in *profess. fidei*: «Solam »Fili personam verum hominem, de sancta et immaculata Maria »Virgine, credimus assumpsisse: de qua, novo ordine novaque »nativitate, est genitus; quia intacta virginitas et virilem coitum »nescivit et foecundata per Spiritum Sanctum carnis materiam »ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo »monstratur.»

S. Hippolytus (vel illius temporis A.) ep. et martyr. (sec. III) refert hunc canonem Traditionis Apostolicae: «Festo Natali cessent ab opere, eo quod tunc hominibus tributa fuerit inexpectata gratia, ac natum sit Dei Verbum Jesus Christus ex Maria »Virgine in salutem mundi.»

Sophronius, Patriarch. Hierosoly. in *Synodica ep.* «Partus »ipse incorruptibilis, illibata Virginitas, quae ante partum, et in »partu et post partum est intemerabilis.»

173. Obj. 1. S. Joseph, in Evangelio, Pater Jesu dicitur: Ergo Resp. dist. *ant.* Quatenus realiter Pater esset. neg. Quatenus *putabatur* talis propter Sponsi dignitatem, uti notat S. Lucas (1), conc.

Obj. 2.º Aliqui PP. dicunt uterum Virginis in partu *apertum, patefactum*, fuisse: ergo saltem in partu amisit virginitatem.

Resp. Dist. *ant.* Fuisse *apertum, patefactum* aequivalenter; conc. formaliter; nego. Etenim, quemadmodum coeli aperiri dicuntur, cum aliquid in coelo existens effulget et monstratur exterius; ita uterum patefecit, vulvam aperuit Christus cum intra vulvam jam non latuit, sed extra exivit.

174. Obj. 3.º In textu laudato Isaiae, non legitur Virgo (bethula), sed Adolescentula (alma). Atqui Adolescentula potest non esse virgo: ergo virginitas B. Mariae inde nequit probari. Resp. dist. *min.* Adolescentula, quae *Alma* dicitur, intelligi potest ea quae non sit virgo; nego *min.* Adolescentula, quae *Nachara* appellatur, potest ea esse quae non sit virgo; conc.

Alma appellatur ea, quae et virgo est, et puella seu adolescentu-

(1) III, 23.